

# M E L I S S A

**EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA**

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42

## DE SCOPIS NOSTRIS PATEFACIENDIS

Nusquam in Europa, lingua Latina sua sponte extincta est. Renascentiae temporibus, cum nationum singularitates exaggerare coeperunt principes, ut sibi regna fingerent atque alligarent, invenerunt vernaculum quendam sermonem subiectis imponere optimum esse adiumentum ad hunc scopum adipiscendum. Quod non fecerunt, ut plerique hodie putant, ut commercium inter subiectos et regimen facilius fieret; nam non omnibus sermonibus vernaculis suo quisque in regno faverunt, sed eorum tantum uni, sibi commodiori, quem paulatim cunctis subiectis imposuerunt. Cuius rei Francogallia optimum praebet exemplum. Patet quidem complures diversas dialectos vernaculas XIV<sup>o</sup> saeculo in Francogallia pariter viguisse. Quae, quamvis operibus litterariis illustratae, post duo saecula sermone Francogallico oppressae sunt. Idem, antea vel postea, accidit in Hispania, in Imperio Austriaco, in Regno Unito insularum Britannicarum, etc...

Dum a principibus deletur res publica Europaea Latina Christiana, Renascentiae docti sermonem Latinum ad normam antiquam restituunt atque eo inter se utuntur trans nationum limites; solus enim videtur satis universalis, satis intellegibilis, satis immutabilis esse, ut sit sermo rei publicae litterarum. Tunc temporis vocabulo "litteris" designabantur non solum opera litteraria, quae hodie dicuntur, sed opera, quae dicimus scientifica, ad mathesim, medicinam ceterasque res naturales pertinentia. Diu viguit res publica litterarum; tantam Latinorum operum copiam genuit, ut adhuc ne enumerata quidem essent. Per complura saecula lingua Latina fuit instrumentum, quo Europaei docte necnon eleganter commercium pacificum inter se servare potu-

erunt.

Ingravescentibus autem nationalismis, principes Latinam rem publicam litterarum diutius ferre non potuerunt. Francogalli a XVI<sup>o</sup> saeculo curaverunt ut alumni in studiorum universitatibus Francogallice docerentur. Idem paulatim factum est in ceterarum nationum universitatibus. Usque tamen XIX<sup>o</sup> saeculum, quin etiam iniens XX<sup>o</sup> saeculum, fuerunt in Europa cathedrae academicae, unde Latine docere pergeretur. Inter maiores Europae nationes, Germania diutius servavit usum academicum linguae Latinae; qui tantum abolitus est, tempore Cancellarii Bismarck, cum sua vice nationalismus Germanicus quoque ad culmen pervenisset.

Iterum iterumque repetenda est haec veritas historica, quam plerique aequalium nostrorum videntur oblivisci: lingua Latina, magnificum, pacificum traditumque instrumentum communicationis inter Europaeos, violentia nationalismorum oppressa atque abolita est.

Quamvis Europaei post tot tantaque detrimenta nationalismorum causa accepta, conspectis ruinis, tandem statuissent confoederari, permanserunt multae nationalismorum consuetudines, quarum una est vitam negare sermoni Latino.

Hac de causa in totius Europae scholis officialiter non licet linguam Latinam docere eodem modo ac ceteras linguas; nam, "discipulus aggreditur linguam tantum scriptam", ut legitur in prooemio publici programmatibus Belgici. Eadem sententia ubique Europae valet. Inter Societatis Latinae sessionem ante mensem Saraviponti habitam, professor Andreas Fritsch narravit eundem docendi modum in Germania paucis annis ante secundum bellum munda-

**N.B. Benevole lector, si Melissae frontem mutata esse animadvertisti, scito omnes frontispicii partes, inclusa apicula nostra, nunc ordinatro confici.**

num impositum esse.

Res nostris diebus non mutantur, ut modo expertus sum. Nam, cum ab Administro publico subsidia petivissem pro Fundationis Melissa actuositatibus, imprimis bene receptus sum, opera nostra laudata sunt, sed, in fine, Administer publicus ad me scripsit nullam pecuniam publicam tribui posse methodo auditivo-orali conficiendae (cfr huius epistulae exemplum exhibitum).

Ergo linguae Latinae renascentia iam a schola inhibetur, id quod maximum detrimentum affert. Inter institutionis scholaris administratores, plerique hodie iam putant vix necessarium esse

*Nos referemus: CS/ED  
la rappeler dans votre réponse!*



*voss Bruxelles, le 23.2.1988  
Rue du Commerce 61a*

*Le Ministre de l'Éducation Nationale*

Monsieur Guy LICOPPE  
Fundatio Melissa ASBL  
avenue de Tervueren, 76

1040 BRUXELLES.

*Cher Monsieur,*

*J'ai le regret de vous faire savoir que, suite aux avis de l'Inspection des Langues anciennes et de la Direction générale de l'Organisation des Etudes, il ne sera pas possible de donner suite à votre demande de subside pour l'ASBL "FUNDATIO MELISSA" dans le cadre budgétaire actuel.*

*En effet, la méthode audio-orale que vous préconisez pour l'enseignement du latin ne correspond pas aux objectifs que nous assignons actuellement à l'étude du latin.*

*Toutefois vos travaux ont été réalisés par de véritables humanistes et leur intérêt culturel est évident. A ce titre, ils méritent d'être signalés et reconnus car la promotion des langues anciennes est une vaste entreprise qui dépasse le cadre de l'enseignement secondaire et supérieur. Je vous propose donc de communiquer à la Direction générale de l'Organisation des Etudes, boulevard Pachéco n° 34, 1000-BRUXELLES, vos recherches de manière à ce que les enseignants en soient informés.*

*Je vous prie de recevoir, cher Monsieur, l'assurance de mes sentiments les meilleurs.*

Antoine DUQUESNE.

linguae Latinae rudimenta in scholis docere; discipulis iam satis esse veterum auctorum translationes vernaculas legere atque aliquid addiscere de Graecorum Romanorumque cultu civili. Pauciores autem administratores, cum compererint etiam sermonis patrii in dies peiorem notitiam habere discipulos, institutionem Latinam ut optimum adiumentum extolunt; sed, eorum iussu, lingua Latina non ut vera lingua addiscitur, sed explicatio textuum classicorum adhibetur velut incomparabilis mentis exercitatio.

Quae cum ita sint, frequentiores fiunt docentes qui sentiant institutionem Latinam in mala via esse, in via qua necessario et consulto ducitur ad desertum. Ipsi discipuli vix patiuntur exercitationem puram, sine effectu statim perceptibili.

Ergo tam diu mutari non poterit institutio Latina, quam diu non mutabuntur iussa administrationis. Quae iussa, ut optime inter Societatis Latinae sessionem dixit Prof. Andreas Fritsch, pendent ab opinione hodiernae societatis Europaeae. Sed, tum hodie cum olim, cives de singulis rebus per se ipsos iudicare non solent, sed paucorum sententiam sequuntur, qui, cum opem habeant, qua suam sententiam diffundant et imponant, dicuntur opinionis duces. Qui cum sint sive politici, quibus maxime prodest diversitatem divisionemque hominum servare, sive magni negotiatores, quibus facilius est praepollentium Americanorum lingua uti, certe Latinitati vivae sua sponte non favebunt. Oportet ergo Latinitatis vivae fautores undique vires suas colligant, ut maiore voce veritatem patefaciant et diffundant. Quod ad efficiendum novae opportunitates videntur oriri, de quibus, si confirmabuntur, in posterum referremus.

Gaius LICOPPE.

## De futura moneta Europaea praenuntianda

Europaeorum Aerariorum Comparatorum Grex, consiliario Vernerio Lutz suadente, statuit extraordinariam monetam chartaceam Scutis (1 Scutum (ECU) Europaeum = circiter 43 franci Belgici) conscriptam edere, quam "Scutum culturale" vocant. Similis enim erit futurae Europae monetae, quamvis haec pecunia non omnino sit vera. Exeunte hoc anno, ex quinque papyri tonniscientur 4.500.000 nummi Europaei schedularum. Quod ad leges pertinet, haec pecunia erit vera, i.e. papyri, delineationis, fidei signi officialibus conditionibus aptata. Ea tamen uti non poterimus nisi occasione aliquot culturalium consessuum data, propterea quod princi-

pales nationales argentariae mensae, praesertim Anglica, Germanica et Italica, de hoc proposito non assentiuntur. Ergo *psychologica* erit pecunia Europaea... Cuius emissionis operatio etiam Europaea est, cum typographus Nederlandicus sit, signum fidei Francogallicum, emissorium institutum Luxemburgense.... delineator Bruxellensis!



(sequitur p. 11)



# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES IOSEPHUS-MARIA MIR

*Iosephus-Maria Mir, in numeris 19° et 21° pro Mellissae lectoribus de vita sua interrogatus, promiserat nobis plura de PALAESTRA LATINA narrare. Quae vobis hodie proponimus.*

*Quid tandem accidit post mortem clari professoris Emmanuelis Jové?*

Ceteri, se conservandi causa, in diversa loca profugerunt, ibique se absconderunt quoad usque lux et pax apud cives Hispanos claruerunt.

*At de Palaestra Latina quid factum est?*

Revixit ineunte anno 1939° Alabonae ad Caesar-augustam: ita in prima pagina summa laetitia nuntiabatur: "Iterum ad Palaestram!"

*Ecquis fuit tanti operis restitutor seu restaurator?*

Nobilis fama Pater Iosephus Jiménez Delgado: cui socii se adiunxerunt optimi Latinitatis magistri in Hispania, clarus Pater Andreas Haberl - qui Latine Avenarius appellari maluit et tunc Romae commorabatur - , aliique haud pauci linguae Latinae doctores.

*Fueruntne difficultates superandae in Palaestra restituenda?*

Ita profecto; nam sic fit dum rebus humanis initia dantur. Non multi erant scriptores; insuper Iosephus Jiménez Delgado paulo post advocatus est ut munere cappellani in exercitu fungeretur; postea in studia litterarum totus incubuit ut doctor renuntlaretur; tandem professor nominatus est in Pontificia Universitate Salmantina.

*Et tu, Pater, ubi eras illo tempore? Nam supertus irruitisti te cum Patre Jové, in Villula Claretiana ad Cervariam, adfuisse praesentem, cum ille, versus patriae solum, in viam patriae se daret.*

Ita prorsus: praesens aderam.

*Et quo modo ex eo perturbationum gurgite liberatus es?*

O! Quot ardua et gravia inquiris, optima Diana! Et quam multa in memoriam revocas! Enitar ut paucissimis et contractis verbis rem, diu protractam, contraham. Socii, qui cum Jové erant, in urbem Ilerdam tendunt, per campos et terras planas pergunt. Nos autem - et octo numerabamur - in montana ascendimus; valles et campos ante nos protenduntur; nocte ad fasciculos segetum parum quiescimus. Pagum prudenter ingredimur; panem emere cupimus idque dicimus. Incolis suspicio insinuat; sed ex incessu et verborum dignitate dignoscimur, atque benigne excipimur hospitio. Quattuor ex sociis ibi remanent. Ceteri - quattuor sumus - in viam progredimur.

*Quo pergitis?*

In Bellum Visum, quae est nobilis "villa" - eoque nomine ex aetate media ornat - et paucis chiliometris ab Ilerda, capite provinciae, distat. Ibi parentes et fratres commorantur.

*Quid inde?*

Vehimur in villam natalem. Excipimur. Iudicium de nobis coram "novis populi rectoribus" instituitur. "Omnia novimus: vos bellatores estis. Armentarium in cellis vestris, in Universitate Cervariensi, abscondebatis!" - illi populi primores effutiunt.

NOVA VERBA LATINA

XVIII, 11-13

## AERIPORTUS



*1. helicoptërum, i	<i>helicoptero</i>	hélicoptère	elicottero
*2. helix, icis f.	<i>hélice</i>	hélice	elica
*3. autogyrus, i	<i>autogiro</i>	autogyre	autogiro
*4. magister, tri	<i>profesor</i>	professeur	professore
* professor, ðris			
*5. alumni, orum	<i>alumnos</i>	élèves	allievi, alunni
*6. globus, i	<i>globo</i>	globe	pallone
*7. aeroplanum duobus motoris instructum	<i>bimotor</i>	bimoteur	bimotore
*8. ala, ae	<i>ala</i>	aile	ala
*9. gubernaculum, i	<i>timón</i>	gouvernail	timone
*10. aeroplanum aëris haustorium	<i>reactor, avión a reacción</i>	réacteur	reattore
*11. cellula, ae	<i>cabina</i>	cabine	cabina
*12. decidulum, i	<i>paracaidas</i>	parachute	paracadute
*13. regibile, is	<i>dirigible</i>	dirigeable	dirigibile
gubernabile, is			
*14. aërodrómus, i	<i>aerodromo</i>	aérodrome	aerodromo
aeriportus, us	<i>aeropuerto</i>	aéroport	aeroporto
*15. pharus, i f. (m)	<i>faro</i>	phare	faro

"O nos miselli et pauperes: qui nihil aliud mente et corde agitabamus nisi ut studia enixe coleremus et in vitam missionariam et apostolicam nos praepararemus!" - "Rem totam investigabimus"...

### Quid deinde?

Pater meus prudenter cum primoribus rem tractat: symbolos securitatis sociis assequitur: qui in domos suas pacifice pergunt.

### At tu?

Apud meos per annum abscondor. Barcinonem pergo et Vicum. Invitor ut fines patrios pedibus et noctu transeamus et in Galliam inducamur. Res in manifesto deprehenditur dum iam iam Galliam attingimus. Fit confusio et omnium dispersio. Aliis exactis fortunae casibus, Barcinonem vehor; in "carcerem exemplarem" (Carcel modelo) deducor. Statim, media nocte, iudicium instituitur. Paucis, argutis, captiosis admodum interrogationibus me premit famosus ille iudex. Prudentibus respondeo verbis: conscius de fide ac de sacerdotio meo; conscius de vera patria honoranda - in neutram partem nimium declinans. Capite, seu ad mortem, damnor. In tabulato superiore inter damnatos ad mortem versamur. Fit poenae remissio: iterum iterumque; e carcere tandem discedo. Ad ministeria seu servitia sanitatis specialia mitor. Sumus in prima acie. Irruptio exercitus nationalis cohortitur; acies nostra bombis contunditur. Alia quam plurima... Tandem,



PICTURA 9.\* SCAENA I.\* VICUS HIBERNO TEMPORE

1. — Incuntis anni feriis, patrem Novam Villam comitatus sum, parvum vicum, ubi aliqua negotia ageret.

2. — Publicam raedam " arripuimus quae cursum peragit inter urbem et vicum; sed cum hiems plurimum saeviret, ex eo itinere, in curru parum commodo, nullam voluptatem percepimus.

novam auram respiro. Liberatus sum.

Ineunte mense Februario a° 1939° Barcinone sum; a Superiore Maio cappellanorum in exercitu cappellanus nosocomii Sancti Pauli nominatus; saltem ad mensem Augustum ministeria sacerdotalia ibi actuose exsequor: milites - aegroti aut glandibus percussi - ad tria milia decumbunt, ex quibus haud pauci decedunt; eodem fere numero cives populares in aliis valetudinariis aedificiis retinentur.

Deinde iterum Cervariam, postea Barcinonem, Alabonam: ubique linguam Latinam alumnis tradens, ac praesertim Barbastri, ubi viginti et amplius annos consisto usque dum Romam advocor ut in Athenaeo Salesiano compositionem latinam alumnos doceam.

*Sed ad Palaestram Latinam revertamur. Quid accidit cum Rev. Iosephus Jiménez Delgado in numero professorum Salmanticensium adscriptus est?*

Per aliquod temporis spatium rem ipse moderatur; sed paulatim a nobis discedere cogitur, quamquam perhumaniter nobiscum coniungitur et lucubrationes magni ponderis interdum ad nos mittit. Sed cum moderator nominatus est commentariorum qui HELMANTICA dicuntur in ampliora Universitatis opera et incepta totus incubuit.

*Eo autem tempore quae fuerunt Palaestrae exitus et fructus?*

Ad annum 1944<sup>um</sup> et amplius haec numerari possunt praecipua: amor et studium ad linguam Latinam excolendam praesertim apud alumnos adulescentes magnos habuit progressus: libenter et sponte scripta mittunt, inter se contendunt et litteras mittunt; certamina proclamantur et praemia excellentioribus alumnis tribuuntur. P. Jiménez Delgado scriptiones vulgat ponderati pretii de rebus historicis et grammaticis: in his praestat eius disputatio De orthographia Latina, quae in multos commentarii fasciculos protrahitur; Avenarius bellulam describit narrationem fabularem de erratione Georgii Pelleteri, ac simul de novis vocabulis Latinis ponderatas disceptationes admiscet; in operculis Mirifica portenta de venatore Tito et Cane Melampo prodeunt, quae aptis ornantur figuris depictis et puerorum curiositatem in alios Palaestrae fasciculos habendos et colligendos magnopere excitant; in Commercio epistularum dubia et difficultates suscitantur et solvuntur; commentaria seu annotationes in scriptores classicos eduntur. Sub titulo Nova et vetera ratio recentissimas linguas hodiernas ediscendi in linguam Latinam transfertur: quae Gallice Livret explicatif des Tableaux Delmas inscribitur.

*Haec nova methodus legentium animos excitavit?*

Ita sane: nam ibi quam plurima eaque recentissima describuntur et novis verbis exprimuntur; dialogi inseruntur et vocabularia apponuntur: quibus sensus vocum expedite intellegitur. Cum omnia opusculi capita in Latinum conversa sunt, in libellum colligata in lucem eduntur: eoque legendo studiosi oblectantur.

*Quid alia?*

Haec plus minus ad annum 1955<sup>um</sup> protrahuntur.

### *Ecquid tunc accidit?*

Tu probe scis; adulescentium animi ardent perpetuo et nova semper moluntur. Erant tunc temporis apud nos, Barbastrī, novelli professores qui ampliora et perfectiora assequi conabantur. Congregatur omnium coetus; fit conventio. "Progrediamur!" instant ferventi iuventa. Et progredi coacta est Palaestra Latina, eo anno quo eius natalis quintus et vicesimus celebrabatur.

### *Qua ratione id factum est?*

In ampliorem formam Palaestra componitur: viginti paginae in quattuor et quadraginta ampliantur, commentarii tribus exactis mensibus prodeunt; commentationes et lucubrationes pleniorē doctrina refertae evulgantur; peritorum disputationes de novis vocabulis in sermonem Latinum inducendis exhibentur: sales, lepores, facetiae venustiore forma in Palaestra Adulescentium disponuntur: eaque extrema ephemeridis pars etiam separatim editur et in seminaria et collegia studiorum mittitur, et perlibenter ab adulescentibus legitur.

### *Suntne quaedam notatu digna?*

In primis fasciculis ampla excitatur disputatio de novis vocabulis. Ibi Iosephus Holzer, rector Lebacensis, proponit: conorum ludus / coniludium, liquores, aquae ardentes, carneus / rhomium, conacum / potio conacensis, anisetum, alia. Amplificatur disceptatio - in quam Avenarius descendit, qui Roma tunc discesserat - et ad sedes Romanas et Vaticanas rei contentio inducitur. De immoderato nostro progressu in quaestione tractanda reprehendimur, vitu-

peramur. Excludimur, eicimur... Sed tempora procedunt, voluntur; opiniones hominum mutantur; vertitur fortuna: quae nobis tandem subridere visa est. Et Palaestra Latina suo gradu ac fortuna progreditur, idque ad annum 1965<sup>um</sup>.

### *Quid tunc factum?*

Romam advocor; in Instituto Altioris Latinitatis - ad Athenaeum, et nunc, Pontificiam Universitatem Salesianam - scholas trado: auctores commentariis explico, in aptam compositionem Latinam alumnos induco. Interim Palaestra Latina eadem fere ratione ad annum 1975<sup>um</sup> prosequitur. Res tunc immutatur: alius, mittitur missionarius in Americam Latinam; alius, necessario Barcinonem digreditur; pauci Barbastrī et Caesaraugustae remanent. Eoque anno 1975° Palaestra Latina infeliciter in publicum amplius non refertur.

### *Suntne alia quae commemorentur?*

Sed tu, optima Diana, de Palaestra Latina deque eius fortuna postulata deferre tantum initio proposuisti. Sunt quidem alia: scholae in Pontificia Universitate Lateranensi; sunt congressus, sunt et libri illo tempore a coetu Palaestrae Latinae editi et alii recentius, nostro tempore: quae, cum aliis, oblivioni rectius dabis. Quod si aliquando alius - quocum colloquium instituere possis - praesens minime tibi adfuerit, me iterum interpellabis. Interea tu, soror tua, humanissimi parentes - lique de lingua Latina fovenda et amplificanda admodum studiosi - et qui vestra in Melissa assidue legunt salvi sitis multumque fortunati: omnes ex animo salutabis.

## **DE TRIDUO LATINITATIS VIVAE AMSTELODAMENSI.**

A die 15° ad diem 17<sup>um</sup> mensis Februarii in aedibus Studiorum Universitatis Liberae Amstelodamensis triduum Latinitatis vivae institutum est. Nam Pater Dr C. Eichenseer et Drix Sigrīdes Albert(a) pro humanitate et benignitate sua dignati sunt onus circiter viginti participantium rudimentis Latine loquendi imbuendorum suscipere. Qui iam die Dominico 14° mensis Februarii Saraviponto Amstelodamum advecti sunt, ubi Amstelodamenses, imprimis Professor Dr Adrianus Kleywegt, magno cum gaudio eos acceperunt, cum eos longius non vidissent. Ceteri postridie convenerunt; omnes participes studentes erant, qui litteris classicis incumbabant, partim ipsa ex Universitate Libera, partim ex Universitate Studiorum Noviomagensi oriundi. Tres per dies ternis horis ante meridianis Pater Caelestis more suo argumenta diversa tractabat, quae et per se satis digna erant quae audirentur et auditores quantum fieri potuit ad responsiones edendas provocaverunt.

Postmeridianae horae variis rebus dedicatae erant: die Lunae iter investigatorium factum est mediam per urbem Amstelodamum. Die autem Martis lusimus ludos inter se diversissimos, quorum omnium versiones Latinae factae erant a studentibus qui hanc partem programmatis praeparandam curaverant. Scriptulis igitur lusimus (vulgo "Scrabble") frequentia pretioque litterarum adaptatis; ludus Odysseae primum omnium introductus est; eo ludo, cui tortula ("Twister") nomen, agilitas participantium probata est, capacitas autem memoriae eo ludo, cui

Mnemosyne nomen. Postremo etiam "Quim Quam Quet" lusimus (Batavice "Pim Pam Pet"), ubi lusores v.g. nomen animalis dare debent, quod a littera sorte decreta incipiat.

Meridies diei Mercurii praeparationibus ad res festivas vespere agendas data erat.

Vespere die Lunae apud Carolinam Fisser eramus ubi Remus imaginibus diapositivis adiectis nobis de vita et itineribus sancti Pauli narrabat. Postea Margarita et Inecula versionem Latinam fabulae musicae celeberrimae de Petro et lupo, modis musicis a Sergei Prokoviev(o) instructae, exhibuerunt. Die Martis vespere nonnulli professores et docentes linguarum classicarum in Universitate Studiorum Libera apud Elselinam Vester convenerunt, quae cenam excellentissimam praeparaverat. Die Mercurii vespertino tempore post cenam communem festivitatem finalem celebravimus. Unusquisque ex participantibus aliquid praeparaverat, sive carmen Latinum sive dialogum sive fabellam sive aliud quodlibet.

Hoc modo nimis celeriter primum triduum Latinitatis vivae ulla in Studiorum Universitate Batava habitum ad finem perductum est. Sed fundamenta saltem perfausta posita sunt, in quibus fortasse nunc in Batavia quoque superstructura solidior Latinitatis fieri possit, cum lingua Latina non iam legatur tantum, sed interdum etiam active tam in scribendo quam in loquendo adhibeatur.

Inecula SLUITER Batava.



# SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

## Pars mathesis nobilissima


Initia calculi integralis, quem Georgius Henricus Bortz, ordinis philosophici procancellarius, anno MDCCLXXI° in commentatione, quae fuit de rationibus methodi, qua elementa calculi integralis conscripta sunt, partem analysis mathematicae nobilissimam appellavit, iam in operibus mathematicorum Graecorum quarti saeculi ante Christum natum nobis tradita sunt.

Variae methodi calculi integralis primo loco inveniendae areae quarumlibet figurarum aut determinandae crassitudinis quorumlibet solidorum causa excogitatae sunt. Eudoxus, mathematicus et astronomus et philosophus Graecus, Platonis discipulus, methodi exhaustionis, quae vocatur, parens fuisse dicitur. Methodus exhaustionis hoc theoremate nititur: si pars quantitatis cuiuslibet, quae non minor est dimidio huius quantitatis, ab hac quantitate detrahitur et iterum pars residui, quae non minor est dimidio residui, a residuo detrahitur et hac ratione perpetuo pars residui a residuo detrahitur, denique quantitas restabit, quae erit minor quam quantitas data quaelibet. Euclides et Archimedes hanc methodum instrumentum mathematicum egregium fecerunt, cuius ope e.g. demonstratum esse crassitudinem pyramidis tertiam partem esse crassitudinis prismatis eiusdem basis et eiusdem altitudinis. Gregorius a San Vincentio Jesuita nomen huic methodo dedit, quia sua quidem opinione hac methodo adhibita area detractis partibus quodam modo exhauritur.

Et Romani nonnulla ad fingendum calculum integralem attulerunt. Epaphroditus, agrimensior et mathematicus illustrissimus, in scriptis, quae supersunt, duas methodos, quarum ope superficies montis approximative determinari potest, descripsit (in capite octavo et nono operis Epaphroditii):

(Caput octavum)

Mons est , qui habet ad pedem in circuitu pedes  $\overline{IID}$ , in medietate item in circuitu pedes  $\infty$  DC, et in cacumine adaeque in circuitu pedes C. Sed habet in ascensu pedes D. Quaero iugera. S.Q. Iungo in unum tres circuitiones, id est  $\overline{IID}$ .  $\infty$  DC. C. Hoc sumpta semper parte tertia fit  $\infty$  CCCC. Totiens duco D per altitudinem. Fit DCC et video, quotiens habet  $\overline{XXVIIIDCCC}$ . Fit  $\overline{XXIII}$  =  $\lfloor L \sim$ . Erunt iugera  $\overline{XXIII}$ , hoc est tabula, quarta pars iugeri, et pedes  $\infty$  DC (vide figuram infra)




$c_1, c_2, c_3$  circuitiones  
h altitudo  
A superficies

$$A = \frac{1}{3} (c_1 + c_2 + c_3) \cdot h$$

(Caput nonum)

Mons est strabus, qui habet ad pedem in circuitu

pedes  $\infty$  CCCC, in cacumine in circuitu pedes CC. Sed est altus in parte dextra pedes DCCCL et ex parte laeva pedes DCCL. Quaero iugera. S.Q. Semper iungo in unum duas circuitiones, hoc est  $\infty$  CCCC et CC. Sumpta semper parte dimidia fit DCCC. Facio et ascensus ambos in unum, id est DCCCL et DCCL. Sumpta adaeque dimidia fit DCCC. Hoc duco per DCCC, fit DCXL. Erunt pedes quadrati. Iugera inveniamus. Fiunt XXII .( vide figuram infra)



$$A = \frac{1}{4} (g_1 + g_2) \cdot (h_1 + h_2)$$

Textus traditus, qui refertus est multis mendis librarum et erroribus per scripturam factis, ab auctore emendatus est. Numerus pedum quadratorum unius iugeri est 28 800. Romani in computationibus mathematicis ad numeros fractos pertinentibus systema duodecimale adhibuerunt et symbola numeralia, ut numeros unciarum et partes unciarum desig-

nare possent, invenerant. Ratio scribendi moderna numerorum divisionis in exemplo, quod supra allatum est, haec explicat:

$$700\ 000/28\ 800 = 24 + 1/4 + 1/24 + 1/72.$$

Symbola fractionum significant:

$$\begin{aligned} = | &= 1/4, \text{ quadrans, tres unciae} \\ \mathcal{L} &= 1/24, \text{ semuncia} \\ \sim &= 1/72, \text{ sextula.} \end{aligned}$$

Si methodus, quam Epaphroditus in capite nono descripsit, adhibetur, formula simplex ad determinandam aream duarum dimensionum nullo negotio deduci potest. Esto PQRS area quaelibet duarum dimensionum, quae auxilio m.n. linearum curvarum dividatur in (m+1).(n+1) "quadrata" partialia. Esto LMNO quadratum partiale generale et


$$LM = g_{i,k} \quad 1 \leq i \leq m$$

$$NO = g_{i,k+1} \quad 1 \leq k \leq n$$

$$LO = h_{i,k}$$

$$MN = h_{i+1,k}$$

Ope methodi Epaphroditianae area quadrati LMNO fit



$$A_{i,k} = \frac{1}{4} (g_{i,k} + g_{i,k+1}) \cdot (h_{i,k} + h_{i+1,k}) .$$

(vide figuram infra)

Omnibus areis quadratorum partialium in unum iunctis evadet formula

$$A = \sum_{i=1}^m \sum_{K=1}^n A_{i,k} .$$

**Termini technici:**


calculus integralis	Integralrechnung calcul intégral integral calculus
area	Fläche surface, aire surface
superficies	Oberfläche surface, superficies
solidum	Körper solide, corps body, solid

altitudo	Höhe altitude height, altitude
crassitudo	Rauminhalt, Volumen volume volume, solid space
fractio, numerus fractus	Bruch, Bruchzahl fraction, nombre fractionnaire fraction, fractional number
systema duodecimale	Zwölfersystem, Duo dezimalsystem système duodécimal duodecimal system
S.Q.	sic quaeritur.

Petrus Hrandek  
Vindobonensis.

**De ecclesia cathedrali Sancti Michaelis  
ab archaeologis inspecta**

Ecclesia cathedralis Sancti Michaelis et Sanctae Gudulae, cum valde corrupta renovanda esset, propter refectiones iam ante aliquot annos partim clausa est. Quae cum ita essent, Societas Archaeologica Bruxellensis, cui praest Professor Bonenfant, postulavit ut effossiones archaeologicas sub navis pavimento facere liceret. Quae effossiones usque ad altitudinem quattuor metrorum ita peractae sunt ut infimos muros antiquioris ecclesiae structurae romanicae invenirentur. Tunc patuit harenam sub pavimento sceletis commixtis refertam esse, sepulturis a XIV<sup>o</sup> ad XVIII<sup>um</sup> saeculum confuse exstructis.



Cum his ossibus multa essent morborum vestigia, archaeologi a differentibus medicis specialistis petiverunt ut, his reliquis inspectis, de antiquorum Bruxellensium morbis iudicarent. Unde factum est ut Dr Licoppe rogaretur ut aliquot ossa morbo affecta radiographaret. Nonnulla autem mala in his demonstrabantur, velut congenitalis coxae luxatio, spondylitis tuberculosa (Malum Pottianum) gravesque arthroses. E quo concludendum est Bruxellenses illius temporis optimates, annos vix quadraginta natos, iam senuisse atque propter loci gravitatem paludesque Bruxellenses arthroses rheumaticosque passos esse.

Francisca DERAEDT

NEPTUNO HAS AGO GRATIAS MEO PATRONO,  
QUI SALSIS LOCIS INCOLIT PISCULENTIS,  
CUM ME EX SUIS LOCIS PULCHRE ORNATUM  
EXPEDIVIT.



MIROQUE MODO ATQUE INCREDIBILI HIC  
PISCATUS MIHI LEPIDE EVENIT, NEQUE  
PISCUM ULLAM UNCIAM PONDO HODIE  
CEPI, NISI HOC QUOD FERRO HIC IN RETE.



HOC EGO IN MARI QUICQUID HIC INEST  
REPPERI; QUICQUID INEST GRAVE QUI-  
DEMST; AURUM HIC EGO INESSE REOR.



NUNC SIC FACIAM, SIC CONSILIUM EST:  
AD ERUM VENIAM DOCTE ATQUE ASTU,  
PAUXILLATIM POLLICITABOR PRO CAPITE  
ARGENTUM, UT SIM LIBER.



IAM UBI LIBER ERO, IGITUR DEMUM IN-  
STRUAM AGRUM ATQUE AEDIS, MANCIPIA;  
NAVIBUS MAGNIS MERCATURAM FACIAM;  
APUD REGES REX PERHIBEBOR.




HUNC NUNC VIDULUM CONDRAM.









*Hos versus, numquam antea publicatos, ad nos misit Thomas PEKKANEN. Quos annis 1979-1983 composuit, "ad animum recreandum et stilum Latinum exercendum", ut ipse dicit. Ut in Anacreontis poetae Graecis carminibus, Thomas PEKKANEN his versibus vina et amores cecinit.*

## Anacreontea

1.  
 Quid me rhetorum figuras  
 Doces nihil profuturas?  
 Tales quid iuvant sermones,  
 Quibus frustra me sic mones?  
 Potius me Bacchi mitem  
 Potum doceas, ne vitem!  
 Potius cur me iam dudum  
 Doces non Amoris ludum?  
 Coma cana me coronat,  
 Puer vina nunc apponat!  
 Mox me teges non viventem,  
 Mortuum, nil sitientem.

2.  
 Tauris cornua natura  
 Dedit illos defensura,  
 Equos unguis ornavit,  
 Pedes lepori donavit;  
 Leo dentium hiatu,  
 Piscis notus est natatu,  
 Aves factae volitantes,  
 Viri ratiocinantes.  
 Sic natura dividebat,  
 Nihil feminae habebat.  
 At illius pulchritudo  
 Valet plus quam multitudo  
 Hastarum et clipeorum,  
 Militarium armorum.  
 Pulchra mulier armamenta  
 Vincit, ignem, ferramenta.

3.  
 Volo Cadmum celebrare  
 Et Atridas consonare,  
 Lyra vero suis chordis  
 Resonat amorem cordis.

Nervos nuper permutavi,  
 Lynam novam comparavi,  
 At Herculeos labores  
 Non sonabat, sed amores.

Vos heroes, valeatis,  
 A me procul abeatis!  
 Lyra servans suum morem  
 Tantum resonat amorem.

4.  
 Equula, me cur tam limis  
 Oculis inspectans nimis  
 Fugis vitans inclementer,  
 Inscia, quam sapienter  
 Rem equestrem gesserim?  
 Scias ergo: frenis rite,  
 Tibi positis perite  
 Habenarum moderator,  
 Te circensis aurigator  
 Circa metam verterim.  
 At non habens virum scitum  
 Artis equestris peritum  
 Ludis leviter et satis  
 saltans mollibus in pratis  
 Pasceris nunc interim.

5.  
 Auro vitam venderet  
 Homini si Pluto,  
 Conservarem strictius  
 Aurum loco tuto,  
 Fatis ut urgentibus,  
 Prope cum veniret,  
 Mors accepto pretio  
 Me tum praeteriret.

At si vitam emere  
 Vir mortalis nequit,  
 Homini congeries  
 Auri prodest ecquid?  
 Ergo semel emori  
 Cum sit nostrae sortis,  
 Quid in vanum querimur  
 Diem dirae mortis?

Cum sit omnis gemitus  
 Nihil profuturus,  
 Cur non vinum potius  
 Bibam moriturus,  
 Quoad cum sodalibus  
 Licet convivari,  
 Venerem cum virgine  
 Cara venerari!

6.  
 Te cicadam celebros  
 Ter beatam, rore  
 Pascens in arboribus  
 Cantas regis more,  
 Quippe tua propria  
 Prospicis in pratis,  
 Seu quae crescunt omnia  
 Saltibus in latis.

Comes es agricolae,  
 Nihil cuiquam nocens,  
 Praecinens mortalibus  
 Aestus tempus doces;  
 Te Camenae diligunt,  
 Favet tuis rebus,  
 Vocem tibi liquidam  
 Qui donavit Phoebus.

Te non terit senium,  
 Docte argutaris,  
 Terra nata diceris,  
 Cantu delectaris;  
 Sic exsanguis corpore  
 Valida putaris,  
 Ut par immortalibus  
 Paene videaris.

7.  
 Non regales commovent  
 Opes me Lydorum,  
 Invidus non maceror  
 Rebus tyrannorum.

Mihi placet unguere  
 Barbam pretiosis  
 Myrrhis, caput cingere  
 Placet nexis rosis.

Mihi placet plurimum  
 Dies hodiernus,  
 Est incertus crastinus,  
 Abiit hesternus.

Dum valemus viribus,  
 Decet convivari,  
 Prolibantes Libero  
 Tesseris locari.

Incidens infirmitas  
Aegrotanti dicitur:  
"Tibi, si vis vivere,  
Bibere non licet."

# De Professoris Ijsewijn operibus lexicographicis

8.  
Cum me Bacchus subit,  
Dormiunt dolores,  
Croesi rebus habeo  
Opes meliores;  
Caput cinctus hedera,  
Carmen cantabundus  
Cum accumbo lectulo,  
Parvi refert mundus.

Arma sumant milites,  
Ego sumo merum,  
Puer, offer oculus  
Poculum ad erum,  
Namque multo melius  
Vinolentus iacet  
Quam qui bello mortuus  
In aeternum tacet.

9.  
Vir mortalis genitus  
Viam vitae terit,  
Quantum iter fecerit,  
Ei notum erit;  
At ignorat penitus,  
Quanta pars supersit,  
Quantum adhuc temporis  
Sociis intersit.  
Donec finis veniat,  
Dissolutis curis  
Prorsus nihil doleo  
Rebus de futuris;  
Lubens ludo, rideo,  
Salto, Cytheream  
Venerem cum Libero  
Almam colo deam.

Thomas PEKKANEN  
Helsinkiensis.

## Adnotatiuncula:

Argumenta carminum, sicut nomen Anacreontea indicat, sumpta sunt a poeta Graeco Anacreonte eiusque Graecis imitatoribus. Omnia sunt rhythmicè - non metricè - composita et rimis ornata. Carmina 1-3 sunt versu octosyllabo scripta cum rimis aa, bb, cc etc. In 4 quintus quisque versus est heptasyllabus, ceteri octosyllabi, rimarum schema aabbc, ddeec, ffggc. Carmina 5-9 uno eodemque versu vagantico, quem ex cantione *Gaudeamus igitur iuvenes dum sumus* omnes cognoverunt, procedunt, ita tamen, ut unus versus in duas lineas divisus sit. In 5, 6, 8 et 9 strophæ ex quatuor versibus, in 7 ex duobus tantum constitit.

Sodalis noster Theodericus Sacré legit et ad nos misit commentationem actorum diurnorum "Het Nieuwsblad" (die 5<sup>o</sup> m. Ianuarii a<sup>o</sup> 1988<sup>o</sup> Nederlandice scriptam). Quo in commentario agitur de Professore Iosepho Ijsewijn, qui in Universitate Catholica Lovaniensi (in parte Nederlandica) docet et periodicum c.t. "Humanistica Lovaniensia" regit. Is enim in mente habet thesaurum vocabulorum neolatinarum (sed non hodiernorum) in lucem edere. Proxima aestate, cum participabit conventum "Associationis Internationalis pro Neolatinitate", propositi sui formam cum collega Americano Ricardo Shoeck constituet.

Professor Ijsewijn, de his rebus a diurnario interrogatus, sperat primam partem operis hoc saeculo editum iri. Quid de scopo? "Thesaurum Linguae Latinae modernae proponere. Nam lectori Erasmi difficultates sunt, cum multa vocabula in lexicis classicis non inveniantur." In lexico Professoris Ijsewijn inerunt vocabula inventa a Renascentia ad aetatem barocam (1350-1700). Eius tamen propositum non est hodierna verba colligere, cum talia studia ei videantur minimi momenti. Hodie, inquit, sunt qui de omnibus rebus Latine loquantur! Tali linguae Latinae usui Iosephus Ijsewijn non assentitur atque seminaria nostra iudicat ridicula et iocosa, sed non nociva.

Nihilominus Latine scribit: textus scientificos, diplomata, inscriptiones. Plura etiam scriberet si plures homines Latine legere possent, sed ipsi latinistae, inquit, minime Latine scribunt. Lingua tamen Latina facilius utimur quam linguis extraneis, ut ei videtur, propterea quod grammatica Latina multo rationabilior est.

## De futura moneta Europaea praenuntianda (initium p.2)

Nam Belgium, Iacobo Doppée delineante, huic incepto magna ex parte cooperatur. Iacobus Doppée est artifex pictor. Cum in nobilissimis materiis, velut in papyro manu fabricato, pingere mallet, ante quinque annos statuit papyrum suum modo mediaevali ipse conficere. Nunc arte sua vivit, confingens e.g. nuntios matrimoniales, originales invitationes, diplomata honoris causa, etc. Pro Communitatibus Europensibus iam laboravit: nuper enim, occasione anni rebus oecologicis dicati data, rogatus est ut diploma meritorium conficeret. Animadvertamus Europae gubernatores, cum tot essent nationes dissimilesque linguae, diploma Latine conscriptum, i.e. omnibus conveniens, cupivisse. Cuius diplomatis textum Iacobus Doppée a nobis petivit ut in Latinum verteremus. Diplomatis exemplum, cuius translatio a D<sup>no</sup> P. Caeleste Eichenseer confecta est, lectores hic primi omnium videre possunt.



## DIPLOMA MERITORIUM

Europaeus Annus cum celebretur rebus oecologicis dicatus,  
Commissio Communitatum Europensium suum diploma meritorium confert

quo agnoscantur merita eximia in Europae rebus oecologicis acquisita.

Datum Bruxellis die

Sodalibus Commissionis Arcarum Europaeorum.

Cum eius officinam viseremus, nobis pulcherrimas monstravit picturas suas, labrum ad papyrum fabricandum aptum, futuri "Scuti culturalis" delineationes et miram collectionem... viventium insectorum c.n. phasmata, quae mimetismo similes fiunt ramis quibus haerent!

Francisca DERAEDT.



# EX ORBE LATINO

Dianae Licoppe editrici "Melissae"  
Paula MARONGIU s.p.d.

In Melissa mensis Novembris anno MCMLXXXVII Dominus Iohannes Granata acerbe me accusat quod in fasciculo XVIII Melissae scripsi Dominum Lefevre "schismaticum" episcopum factum esse; quare aliqua adiungere cogor, ut quid de hac re sentiam melius pateat. Mihi in animo omnino non fuit in Lefevre Episcopum criminatione uti, cuius positionibus reverentiam praesto, quamvis eius rigorem et Ecclesiae et Latinitati minime prodesse pro certo habeam. Volui contra tantum condicionem eius designare. "Schisma" "discidium" "separationem" significat et qui Romano Pontifici non paret ab Ecclesia Catholica separatus est. Lefevre Episcopus, cum praescripta Concilii Vaticani Secundi de liturgia non probaverit, Romano Pontifici non paret (ut inter omnes constat contra Papae vetitum ordines contulit et confert) et ab Ecclesia separatus est; ex quo sequitur ut re "schismaticus" dici possit. Scilicet agitur de parvo schismate nulla sententia dicta. Praeterea censeo verba mea iam duram reprehensionem non merere, cum tali vocabulo in textu non theologico usa sim. Si autem Dominus Granata putat totam quaestionem (id est relationes inter Lefevre et Sanctam Sedem) absurdam esse et deplorat linguam Latinam a liturgia paene pulsam esse valde ei assentior. Ut orationi meae finem faciam, hodie hoc vocabulum "schismaticum" iam non adhibuissem, quoniam (ut in actis diurnis legi) in praesenti contentionis futura compositio impossibile non videtur."

Dabam Florentiae die VI mensis Ianuarii anno MCMLXXXVIII.



**Circuli Lupiani programma ad nos missum est.** Qui circulus varias sessiones proponit, velut spectacula diapositivis praedita (de ambulatione Romana die 15° m. Martii, de itinere Aegyptiaco die 19° m. Aprilis, de itinere Antartico die 14° m. Iunii). Exstant etiam "Seminaria Lupana", quibus per totum diem Latine loqui docetur (diebus 24° m. Aprilis, 12° m. Iunii, 16° m. Novembris). Ludi Lupiani denique habebuntur diebus 14° et 15° m. Maii. Scribendum est ad

**T. Marium Alexa**, Burgstrasse 3 - D-4712 Werne.



## SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

**Ioannes Carolus ROSSI** pridie Kalendas Februarias 88 ad nos gratissimas litteras misit de quibus vobis deprompsimus haec:

Necessarii bene valent, clientes non desiderantur, Sodalitas Latina vivit crescit floret; immo vero non solum sodales in dies frequentiores esse videntur, ad quinquaginta numero, sed ipsi ministri instrumentorum communicationis socialis, quae dicitur, sive diurnarii, sive stationum famuli televisificarum, solent nos saepe numero percontandi causa adire. Quid amplius? Bis radiophono locuti sumus; semel in vulgatissimo televisionis privatae spectaculo apparui; decies minimum de circulo nostro acta diurna vel hebdomadaria egerunt; mox denique ipsa televisio publica coetui nostro intererit, ut voces imaginesque excipiat. Nolim vero nimia spe perperam adduci ut credam totam Europam brevi locuturam esse Latine... quamquam... Quod autem ais, debere inter se circulos Europaeos arctiore necessitate coniungi, maximopere placet mihi idque ad exitum deducere summo studio conabor. Scito vero coetui quod mense Martio habebimus, Robertum Mater nomine circuli Francofurtani affuturum esse.



Claudius PIGA

Stephanus TORELLI

I. Carolus ROSSI

Circuli Mediolanensis conditores



# Pagina lexicographica

Nobis gaudio est nuntiare primam lexi nostri editionem nunc lectoribus proponi. Quod lexicon ad sex linguas singillatim pertinet: Anglicam, Francogallicam, Hispanicam, Italianam, Nederlandicam, Theodiscam. Adhuc tantum in promptu est versio Theodisco-Latinam/Latino-Theodiscam. Huic rei studemus, ut lectoribus praebeantur verba usualia modernaque, ad sermonem cottidianum necessaria. Ad quod efficiendum, multa opera lexicographica nobis praesto sunt. Artissima cooperatione imprimis cum Universitate Saravipontana et D<sup>re</sup> P. Caeleste Eichenseer coniuncti sumus. Accidit tamen ut nonnulla vocabula proposita nobis videantur parum convenientia. Qua de causa in animo habemus has quaestiones publice ponere. Cum lingua Latina inter omnes sit communis, omnium sententiam audire utile est. Tu autem, lector, nobiscum putas linguam Latinam non esse mortuam atque verbis Latinis novas res exprimi posse. Qua de causa nobis in mentem venit paginam lexicographicam in Melissa inserere.

In his studiis omnino nolumus offendere eos qui singula verba proposuerunt; tantum studemus ut res nostri temporis experiantur translationibus non solum optimis sed ad usum aptatis. Hoc etiam dicendum erat.

Cum nunc prima vice hanc paginam lexicographicam lectoribus proponamus, nobis utile visum est demonstrare novandorum verborum problema non solum ad linguam Latinam pertinere. Nam v.g. in rebus informaticis paene omnia verba nova ab Americanis finguntur oriunturque e sermone vulgarissimo. Il qui Americani non sunt, vel idiotismos Americanos immutatos adhibent, vel significationem ita respiciunt ut verbum specificum necnon linguae consentaneum excogitetur.

Quoad scimus, soli Francogalli adhuc conantur modernarum technologiaram terminologiam suo more aptare. Attamen, si quis Melissae lectorum alia eiusdem generis incepta noverit, de his nos certiores faciat quaesumus. Cum lingua Francogallica sit lingua Romanica, nobis alicuius momenti videtur illa lexicographica opera inspicere antequam terminologiam Latinam proponamus.

Cum societatis informatissatio ad omnes res, inclusis vita sociali informationeque, pertineat, Francogalli putant vocabularium uniformiter fingendum esse, quo specialistae facilius communicare possint cum iis quibus res informatica est usui. Ergo informatica terminologia etiam atque etiam novanda est, ingeniariis investigatoribus glottologis docentibusque una laborantibus.

Industriae atque Educationis administri publici Francogalli probaverunt novum rei informaticae lexicon, a Commissione Informaticae Terminologiae confectum. Cui Commissioni praestit praefectus generalis Andreas-Georgius Ferre. Vocabularium ita

locupletatum officialiter praescribere volunt internationalibus organismis qui de translationibus technicis semper in difficultatibus versantur. Nam gubernales organismi omni conatu curant ut lingua Francogallica maneat lingua internationalis et scientifica, qua res mundi hodierni recte exprimantur. Ad quem scopum associationi c.n. A.F.N.O.R. (Francogallica Normalisationis Associatio, Tour Europe, Cedex 7 - 92080 Paris La Défense) mandatum est ut informaticum vocabularium iam auctum quam latissime diffundatur. Ergo verba nova, officialiter comprobata, Francogallis organismis scholis officinisque publicis legaliter adhibenda sunt. Aliquot significantia exempla vobis proponimus:

- Angl. data, Fr. donnée (Lat. datum, i, n.).

i.e. informatio modo conventionali efficta quo facilius tractetur.

- Angl. listing, Fr. listage (Lat. series?).

i.e. documentum continuum ordinatri impressorio producto.

- Angl. computer, Fr. ordinateur (Lat. ordinatum, i, n.).

- Angl. back up, Fr. de secours (Lat. subsidiarius, a, um).

i.e. modus agendi instrumentaque adhibenda cum quaedam anomalia oritur.

- Angl. multiprocessing, Fr. multitraitement (Lat. multitractatio).

i.e. modus secundum quem complura instrumenta, memoriis communibus adhibitis, differentibus programmatibus eodem tempore uti possunt.

Francisca Deraedt

## EX ORBE LATINO

(initium p.12)

\*\*\*\*\*

### COLLOQUIA LATINA FRANCOFURTENSIA

\*\*\*\*\*

**Colloquia Latina Francofurtensia** die 19<sup>o</sup> m. Septembris a<sup>o</sup> 1979<sup>o</sup> feliciter condita sunt a Mechtilde Hofmann, Roberto Maier et Axelio Schönberger, ut regularis Latine loquendi occasio latinizantibus qui hac in regione habitant statis intervallis praeberetur; quae colloquia semel in mense in caupona Iugoslavica cui vulgo nomen "Zum Adler" instituuntur. Scribendum est ad

**Robertum Maier**, Dresdener Strasse 10 - D-6070 Langen.

# De rebus mirabilibus Gandavensibus

LUCAS DEVOLDERE *mystagogus fuit cum, die 19<sup>o</sup> m. Augusti a<sup>o</sup> 1987<sup>o</sup>, inter seminarium Vestendense Gandavum lustravimus. Quaedam capitula selecta ex hac ambulatione periegetica Gandavensi lectoribus hodie proponimus.*

**Quaedam axiomata de modo peregrinationis** (ex exordio deprompta).

**Primum** (sicut fidei articulum): credo in unam ambulationem, modum omnipotentem... pedibus faciendam, quae profert visibilia et invisibilia. Ergo ambulabimus.


**Secundum** (simile dogmati): in visenda qualibet urbe selectione semper opus est. Ubertas rerum nos cogit ad eligenda quaedam. In votis ergo est "non multa sed multum", ad quod Societas Iesu sapienter nos hortatur. Accedit consequenter ex primo et secundo quod loca exteriora valde praeferemus.

**Tertium** (potius monitio necnon et imploratio): omnis mystagogus quodam modo tyrannus est, nam loquitur dum alii silent; constituit et praedestinat quod videre aut contemnere debeatis, rhythmum ambulandi imponit. Tyrannus ergo, quamvis nolim, ero. Ne vos, quaeso, tyrannicidae fiat.

## **Belfortum.**

Nunc turrim firmam adspicimus, in mediotulio urbis sitam, inter duas ecclesias, turrim, fortasse sine gratia transalpinarum sicut Senensis et Florentinae, sed robur Germanum, septentrionale immo et Boreale ostentantem. Haec turris, cui nomen Belfortum est, scilicet quia bella et simul fortis est, aedificata circa annum millesimum trecentessimum. Turris symbolum libertatis civium est. In ea civitatis privilegia, a comite postulata, servabantur. Draco splendens, ex aere factus, quem in culmine videtis, priscus est, bis autem renovatus. Belfortum est specula publica Gandavensis in qua olim campana graviter sonans cui nomen "Orlandus furiosus" est -ut verbis illius Italici Ariosto utar- pendebat. Cum intonaret, plebs armata cum vexillis forum petebat. Postea quaternio sive variae campanae, diverse sonantes, ab artifice musicaliter modulatae, in turri affixae sunt (Campana quam videbitis ab altera parte turris in terra positam, recentior est et leviter dissoluta, sed etiam "Orlandus" vocatur). Campanae adhuc sonant et illud tintinnabulum saltans spargunt quod urbes Flandricas tam mirabiliter compleat.

Domus, Belforto attigua, "Halla" vocatur. In ea mercatores qui lanam emebant, convenerunt et pannos venditioni destinatos reposuerunt. Ars lanifica olim superbia et divitiae Flandriae, praesertim Gandavi erant. Lana a textoribus in pannum redacta, a fullonibus colorabatur: si lanam quodam modo complebant, id est plenam efficiebant, ne se contraheret (Nomen "plenus", Anglice "full", Theodisce "voll", Nederlandice "vol" et hinc nomen actoris "volder", id est "fullo"). Quod eveniebat e processu textendi et colorandi erat pannus, ille pannus Flandricus, nobilis, ubique appetitus et fons potentiae divitiarumque civitatum Flandricarum et, ut supra memoravi, praesertim Gandavi. Aula Hallae, partim subterranea, ubi itaque conveniebant et consilia habebant mercatores, temporibus praetereuntibus, carcer fac-



tus est et nunc caupona. Metamorphosets Ovidio dignae !

Circumeamus aedificium, molem eius admirantes, altitudinem stupentes. Ab altera parte Belforti aula custodis carceris animadvertitur, genere Francogallico quod Ludovici XIV vocatur. Incolae hanc domum "Mammelokker", id est "mammilambens", appellant. Cur? Quia sculptam imaginem conspicitis, Cimons ut quidam putant, illius Romani in carcerem delecti et mammas filiae lambentis, ut viveret.

## **Ecclesia Sancti Nicolai**

Festinemus lente et commeatum vehicularium despiciamus qui semper nucleos veterum urbium delectat. Ne oblitus sitis saeculo priore hic domus exstructas esse, adiacentes ecclesiae et Belforto, vias artas esse. Planities, solitudo quam nunc videtis Domino, cui nomen "autoraeda" est, immolatum est. Sed satis querelae !

Ecclesiam Sancti Nicolai, iuxta forum frumentarium, nucleum vitae quae oeconomica dicitur, sitam accuratius inspiciamus. Exemplum rarius generis Gothici quod "Scaldense" vocatur, exstat. Sanctus Nicolaus, inter alia, frumentum civibus esurientibus largiebatur sine damno copiae, et propterea haec ecclesia, aedificata saeculo 12 exeunte, destinabatur mercatoribus frumentariis qui negotio gloriam adicere vellent. Ante Belfortum erectum haec turris specula urbis erat et omnibus civibus aedis superbiae erat. Sed eheu aedificium, minime terrae inhaesum, nimis altum petens minanter labi coepit: lapides decidebant, iuncturae non iam coagulabant, caementum degenerabat. Variae erant renovationes, restitutiones sed minime aptae. Hoc autem saeculo opera salutis adferendae incepta et adhuc, sicut animadvertitis, haud finita sunt. Problemata ingentia sunt; omnia modo prisco conficiuntur: lapididae singulos lapides curant sive excidunt. Et sic ecclesia paulatim, non ad suum statum priscum redacta sed novam soliditatem necnon et elegantiam accipiens, quasi resurgit e mortuis.

Lucas DEVOLDERE



# UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

## SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

-24/7 - 30/7/1988, Morsaci (Morschach) in HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Regionum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebet. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistr. 6  
CH- 3110 Münsing  
Tel. 031/920823

- 8/8 - 13/8/1987, Bottropii (Bottrop), in urbe Rhenaniae Vestfalicae, quod seminarium fit in domo commodissima et periuanda. Ad quod participandum, interrogandus est:

Rochus Habitzky  
Albertus-Magnus-Strasse, 7  
D-4100 DUISBURG 25  
Tel. 0203/781430

## SCHOLAE FRISINGENSES

*Prof. Valahfridus Stroh nuntiat haec:*

Valahfridus omnibus sermonis Latini amatoribus salutem.

Latine loqui quam utile ac iucundum sit, multi iam vident. Etiam in gymnasiis crescit numerus magistrorum et discipulorum, qui ex hac loquendi arte magnam utilitatem credant Latinis studiis esse venturam. Sed non pauci haesitant et cum timore paene desperant eam facultatem sese consequi posse. Cuius maxima pars, ut in ceteris artibus fieri solet, posita est non in doctrina aut in ingenio, sed in exercitatione. "Eam, igitur clamant (et iure clamant), unde nobis paremus? Ubi magistrum inveniamus, qui doceat? Ubi sodales, quibuscum Latine colloqui liceat?" Hos ego moneo, ut bono sint animo suisque confidant viribus. Edentur enim hoc ipso anno

### **Scholae Frisingenses**

a die 25 ad diem 29 mensis Iulii, quibus id ipsum propositum est, ut scholaribus opportunitas detur Latine disputandi. Ac singulis scholis, quibus scholarchae praeerunt, agetur de argumentis maxime diversis, scilicet de rebus grammaticis, poeticis, rhetoricis, musicis, historicis, philosophicis, theologis, aliis. Praeterea licebit etiam Latinas orationes audire; licebit cantu communi, quem Georgius (Dr. Jürgen Leonhardt) moderabitur, omnem suavitatem musicae Latinae experiri.

Atque hac quidem parte Scholae valde similes videntur LUDIS LATINIS, quos anno 1986° exeunte Frisingae actos esse fortasse meministis. Sed eo

## **CAVETE MUTATIONEM !**

De seminario Vestendensi: nuntiandum est seminarium a<sup>1</sup> 1988<sup>1</sup> habitum Iri, non iam a Saturni die in Saturni diem, sed a Veneris die 12° in Veneris diem 19<sup>um</sup> m. Augusti, iussu aedium "Zon en Zee" rectorum.

12/8 - 19/8/1988, Vestendae in BELGICA

(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE  
Av. de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland.

Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel hospitiiis.

## FERIAE LATINAE

-22/8 - 29/8/1988,

P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce Ferias Latinas moderabitur **in PROVINCIA.**

In Seminarii Aedibus Diocesis Nicensis quae inscribuntur:

La Maison du Séminaire  
Boulevard Franck Pilatte, 29  
F-06300 NICE

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C9  
Rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU

scholae novae a LUDIS LATINIS maxime differunt, quod Ludis eos quoque allicere cupivimus, qui Latine non didicerunt - quam ob causam etiam curavimus, ut quid ibi actum esset per scripta publica artesque radiophonicas et televisificas maxime divulgaretur -, Scholae contra ad eos solos pertinent, qui iam sponte sua aliquam operam litteris Latinis dare consueverunt. Hic non tam publicos plausus petemus quam singulorum scholarium commoda.

Agentur autem Scholae Frisingenses in Gymnasio in Monte Docto sito (Domgymnasium, Am Domberg, D-8050 Freising), ubi Ioannes gymnasiarcha (OstD Hans Niedermayer) oecos praebebit. Pernoctabunt, prandebunt, cenabunt sodales ibidem in aedibus Doepfnerianis (Kardinal-Doepfner-Haus, Domberg). Pro lectis et cibis singuli solvent ducenas duodeticenas marcas (228 DM); quibus rogamus ut addantur denae marcae ad impensas nostras sarcindas. Quicumque igitur interesse volunt Scholis Fri-

(sequitur p. 16)



**MELISSAE**

**LEXICON MINUS  
LATINITATIS  
MODERNAE**

**Latino -Theodiscum**

**DOMUS EDITORIA " FUNDATIO MELISSA "**  
1988



**MELISSA**

**MODERNES  
LATEINISCHES  
KLEINHANDWORTERBUCH**

**Deutsch - Lateinisch**

**DOMUS EDITORIA " FUNDATIO MELISSA "**  
1988

*Hoc lexicon nunc apud Melissam venundatur, cuius infra exhibemus PROOEMIUM :*

Latinum lexicon indigentis temporis nostri, id est: saeculi vicesimi vergentis, aptum et conveniens per multa decennia iam desideratur. Sunt quidem iam permulta verba novata vocabulave recens convenienter conficta proposita, sed locis dissitis, quorum quidam sunt paene inaccessibiles. Sunt enim exhibita in commentariis quibusdam periodicis, quorum nonnulli edi desiti sunt, et in lexicis extra fines patrios editis et in scriptis libellisve specialibus non ita communiter notis.

Latina autem lingua, quae ad fundamenta Europae pertinere negari non potest, etiamnunc suam vim virtutemque "unitivam" vitalitatemque singularem spatio duorum milium annorum optime comprobata non amisit, ubi in eo est, ut populi Europae, in quibus plus quam septuaginta linguae in usu sunt, cuniantur et inter se coalescant.

Tamen, ubi de convenienti usu recentiore linguae Latinae agitur, statim quaestio oritur, quomodo res recentiores Latine denominentur, quibus verbis Latinis condiciones modernae describantur et exprimentur. In hac re videntur obstacula insuperabilia esse. Sed sunt multa, quin etiam permulta, quae sunt sollerter et sagaciter et sapienter proposita, tamen lacunae quaedam adhuc hiscunt et hiant. Pauci sunt enim adhuc homines cordati, nimis pauci - eorum numerus in dies paulatim augetur -, qui necessitate sermonis Latini et adhibendi et excolendi et supplendi cognita et perspecta viribus contentis omnem operam studiumque multiplex in Latinitatem confovendam et promovendam atque propagandam conferunt.

His condicionibus non ita opportunis diligentissime dispectis Dr Gaius Licoppe, Belga Bruxellensis cultorque linguae Latinae ferventissimus et actuosissimus, iure meritoque cognovit censuitque cuncta subsidia technica hodierna, etiam recentissima, quantum fieri posset, in usum utilitatemque Latinitatis proferrandae et diffundendae convertenda esse et adhibenda. Itaque idem suis ipsius sumptibus et subsidiis operis fundati "Melissae" ordinatum ad lexicographiam Latinam conficiendam habile instrumentaque eidem necessarie adiungenda coemit huicque apparatusi una cum suis verba Latina undeunde congesta et corrogata et collecta iam ex tribus fere annis indidit et indit.

**SCHOLAE FRISINGENSES** (Initium p. 15)

singensibus, et nomina profiteantur et eam summam (238 DM) usque ad Kalendas Iulias in hunc computum transcribant:

Sodalitas LUDIS LATINIS faciundis e.V.

Nr. 00 105 1222 12

Stadtsparkasse München (BLZ 701 500 00)

Qui certius aliquid exquirere cupiverit, appellet Evam Mariam Leikam amanuensem, quae a die Lunae usque ad diem Iovis a.m. sub hoc numero respondebit: 089/2180-3421. Schedas autem mittite

Haec verba ad numerum aliquorum trium milium multiplicata inque horreo electronico diligentissime condita nunc in promptu fuerunt, quibus lexica Latinitatis recentioris condicerentur Latino-Francogallicum et Francogallico-Latinum, Latino-Nederlandicum et Nederlandico-Latinum, Latino-Anglicum et Anglico-Latinum, Latino-Hispanicum et Hispanico-Latinum, Latino-Italianum et Italiano-Latinum, Latino-Theodiscum et Theodisco-Latinum.

Ut autem etiam Latinae philologiae et phoneticae Latinae satisfaceret atque ipsi usui linguae Latinae, cuius verba commode facileque proferrentur, omnes vocales (non syllabae), quantum fieri potuit, sive longae sive breves, quae res spectat ad bonum perfectumque pronuntiatum Latinum, signatae sunt, id quod in moderna lexicographia exactissima poscitur et postulatur; insuper unicuique verbo complurium syllabarum signum accentus superpositum est, cum sit experientia quadam multipliciter exploratum multos quidem legem trium syllabarum, quae spectat ad accentus Latinos, nosse, quin etiam bene nosse, tamen eosdem de eadem lege recte convenienterque adhibenda nimis incertos esse.

Denique hoc opere laboriosissime confecto et perfecto plurimum gaudemus et D<sup>r</sup> Gaius Licoppe, amico nostro singulari, eiusdemque adiutricibus et adiutoribus fidelissimis de consilio perseveranter et efficienter ad effectum adducto gratulamur ex animo. Certe quidem in his primis editionibus aliquae imperfectiones deprehenduntur. Sed tales in editionibus posterioribus continenter ampliandis ratione electronica facile poterunt eliminari. Singulos autem universos summis precibus enixe rogamus, ut, si quid monendum invenerint vel aliquid novi, idque rei Latinitatis utile, proposituri fuerint, hoc mox nuntiare velint.

Denique speramus his lexicis circumspecte conditis factum esse, ut novum ver Latinitatis initiaretur et per Latinitatem novum ver in Europam (totumque mundum) felicissime induceretur.

Saraviponti 16.1.1988.

Caelestis Eichenseer

Praeses "Societatis Latinae" Saravipontanae

mihī! Ac si quis vestrum scholam aliquam gubernare ipse in animo habeat, id quoque mihī scribat aut telephonice dicat (tel. priv.: 08161/64046). Accuratorem autem scholarum et rerum agendarum indicem post duos fere menses divulgabimus.

Valete et venite plurimi in urbem Latinissimam et ad vestras Scholas Frisingenses!

Scribebam Monachi m. Ian. 1988.

Prof. Dr. Wilfried Stroh, Institut für Klass. Philologie der Universität München, Geschwister-Scholl-Platz

16 1, D-8000 München 22.